



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

§. 1. Quid sint mutuæ petitiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

rio minus, quam sibi debebatur, petierit, potest in eodem iudicio eademque instantia errorem suum corrigere. § *si minus Instit. in actionibus.*

Porro de libelli oblatione vide plenissime Speculat. in *Tit. de libelli concept.* Quomodo autem in singulis actionibus formandus sit libellus, tradit Calvolus d. § *Libellus conclus. 6. & seqq.* Joan. Oldendorp. in *Progymnas. Actionum* Mynl. & alii ad *Tit. Instit. De actionib.*

TITULUS IV.

De mutuis petitionibus.

§. I.

Quid sint mutuae petitiones.

1. Ratio ordinis.
2. Mutua petitio quid sit.
3. 4. 5. Etiam Clericus coram iudice laico reconveniri potest.

Plerumque viso actoris libello, de ejus oblatione jam dictum, reus vicissim ab actore aliquid petit, eumque reconvenire solet praesertim quando compensationi locus non est (ut si debitum ex utraque parte non sit liquidum, nec intra brevem terminum, arbitrio Judicis statuendum, liquidari possit, secundum Bald. in l. fin. D. De compensat. si neque liquidatum sit per confessionem rei, Maranta 4. p. dist. 6. n. 3. vel si legis prohibitio impediatur compensationem, ut in l. 1. 2. 3. 7. 9. & ult. Cod. De compensat. l. Ob negotium 20. D. eod. tit. vel speciei ad speciem desideretur compensatio, l. Si convenit 18. D. De pignorat. act. vel denique si ex una parte debeat species, ex altera quantitas, l. fin. Cod. De compensat.) sequitur propterea hic Tit. D. mutuis petitionibus.

2. Nam mutuae petitiones nihil aliud sunt, quam conventio ex parte actoris, & reconventio ex parte rei. Et Mutua petitio idem est quod reconventio, quia scilicet reus, viso libello actoris, vicissim aliud ab eo petit, coram eodem iudice, & in eodem iudicio; etiam si alias iudex ille non sit actoris competens. Nec enim permittitur reo, durante iudicio con-

ventionis, actotem convenire coram alio iudice ne in ipso calumniosa potestate sit, actorem ad alium iudicem trahere, & sic eius actionem eludere, actoremque petitionis suae persecutione distrahere, l. Si idem §. sed et si mutus D. De iurisdic. Auth. Et consequenter C. De sent. & interloc. nisi in iis casibus, quibus vel ob controversiae naturam & qualitatem requigantem, v. g. feudi aut rei spiritualis, vel aliud impedimentum, actorem coram eodem iudice nullo tempore convenire potest reus Bart. in d. Auth. Et consequenter n. 3. & 9. cum sic non actor ipse, sed natura & genus seu qualitas causae, eundem iudicem dedignetur.

3. Non potest autem actor quoad reconventionem, ubi ea locum habet, se nulla incompetens fori exceptione tueri, quo minus coram eodem iudice respondere cogatur, l. Papinianus Cod. D. sent. & interloc. om. iud. l. Qui non cogitur 22. D. De iudicium, ubi Ulp. agit. Quis non cogitur in aliquo loco iudicium pati, si ipse ibi agat, & agitur accipere actiones, & ad eundem iudicem mitti: etiam si Clericus sit, qui coram iudice laico reus convenit, ex receptioni DD. sententia, quia scilicet rationi ob quam coram laico Clericus conveniri non potest, praevaleat, & equitate suadente, cum non debeat quis quem dedignari iudicem, cuius in agendo arbitrium securus est, d. l. Cum Papinianus can. Accusatores §. cuius in agendo 111. q. 8. Et huius respectu Abbas & Felinus materiam reconventionis scribunt esse favorabilem. Cui accedit, quod in iudicium iurei litigantes servanda sit aequalitas, l. Non tamen 20. in fine D. De iudicium l. ult. Cod. De fructibus & litium expensis: nec personarum ratio haberi debeat, c. In iudicium de R. l. in 6.

Neque obstat, Si c. diligenti sup. De foro comp. ex quo non licet Clerico vel expressè vel tacite iurisdictionem laici in se prorogare, & ibi commentum Canonista quia hoc casu prorogat non Clericus ipse iurisdictionem laici in se, sed ipsa lex prorogat seu potius dat & debet laico iurisdictionem in Clericum, d. l. Cum Papinianus. Et ideo haec prorogatio est legalis, si ita vocare lubet; nam cum summus Pont. nusquam veruerit Clericum coram iudice laico conveniri; videtur voluisse hac in parte sequi legem civilem, arg. c. 1. inf. De novi operis nuntias: latè Theop. Gisebert. De reconven. c. 11. P. 12.

cap. II. Præsertim cum videamus Pontificem delegati Judicis jurisdictionem ad causam, in delegationis rescripto non expressam specialiter reconventionis favore prorogasse & voluisse modum procedendi, datum in causa conventionis, intelligi repetitum in causa reconventionis, c. 1. & 2. h. t. Constat autem competentem esse iudicem alicujus, qui in eam jurisdictionem à lege habet, l. 1. D. De eo cui mand. est iurisdic.

Adde quod, cum liceat Clerico laicam coram Judice Ecclesiastico reconvenire, æquum sit, ut laico quoque liceat Clericum coram Judice reconvenire laico: In iis scilicet causis, de quibus cognoscere laicus potest, non etiam in iis, de quibus cognoscere nequit, veluti in causa matrimonii, decimarum, & aliis spiritualibus: Item criminalibus, quæ infamant aut capitales sunt, Glossa in c. At si Clerici in v. tenet & ibi late Panormit. num. 20. & seq. sup. De iudicis, Clarus Præf. crimin. quest. 36. n. 6.

4. Neque obstat, quod privilegium Clerici, ne conveniatur coram laico sit totum ordinum Clericorum concessum: Nam pariter, quod Legati legationis tempore conveniri non possunt, publicæ utilitatis favore inductum est; & tamen reconveniri eos posse constat, ex lib. 2. §. sed etsi agant D. De iudicis. Indeque sequitur dumtaxat, Clericum non posse prorogare iurisdictionem laici in se, in præjudicium ordinis Clericalis, non autem quod ipsa lex id non possit.

5. Non obstant quoque jura, quæ verant Clericum à iudice seculari absolvi vel condemnari, sub pœna excommunicationis cap. 1. 2. & d. cap. Si diligenti sup. D. De foro competentis, can. Denique Distinct. 96. quia intelligi possunt de causis merè spiritualibus, vel quo ad conventionem, prout in c. Qualiter 16. sup. De iudicis. indicat illa verba, Ne Clerici trahantur à Laicis ad iudicium seculare.

§. II.

Coram quo, & quibus in causis locum habeat reconventio.

1. Coram iudice delegato reconvenire licet.
2. Et in causis omnibus non prohibitis.
3. Non in causis criminalibus criminaliter intentatis.

4. Non in causis executionum.

5. Non in causa appellationis.

6. Aut quarum natura & qualitas repugnat.

Potest autem reus auctorem reconvenire non solum coram ordinario Iudice, sed & delegato, c. 2. h. t. & ibi Abbas, Maranta, 4. p. dist. 6. n. 13. Nisi Iudex delegatus de consensu utriusque partis datus sit: Nam eo casu locus reconventioni non est, quia cessat ratio d. c. Cum Papinianus quandoquidem non à solo actore sit impetratus iudex, sed & à reo. Ob eandem rationem reus actorem reconvenire non potest coram arbitro compromissario, c. Cum dilectus 6. sup. De arbitris late Maranta d. p. 4. Distinct. 6. n. 20. quippe qui de iis dumtaxat possit cognoscere, quæ expresso litigatorum consensu in compromissum deducta sunt, d. c. Cum dilectus, l. De his D. De arbitris. Neque etiam coram Iudice, quem Princeps proprio motu elegerit, nam & tunc cessat dicta ratio, Jaf. in l. 3. in princ. col. fin. D. Quod quisque juris, & c.

2. Habet verò locum reconventio in omnibus causis, in quibus non reperitur expressè prohibita, nec repugnat causæ qualitas. Et proinde in causis quoque summariis, Clement. Sape §. verum De verb. significat, & quidem indubiè, si utraque causa sit summaria: Alòquin una sit summaria, altera plenaria, procedit quidem reconventio quoad prorogandum Iudicem, ut constat ex d. Clement Sape, quæ indistinctè loquitur, sed non quo ad hoc, ut unà sententiâ terminentur, Maranta d. Dist. 6. num. 38. In quibus verò casibus habeat locum reconventio de jure communi, videre quoque licet apud Menoh. De arbitris cent. 2. casu 184. Thoming Decis. 16. Mynl. Centur. I. Observ. 10.

3. Non habet autem locum; Primò in causis criminalibus criminaliter intentatis, nisi reus reconveniendo vel majus crimen objiciat, vel prosequatur suam suorumve injuriam, l. 1. & l. Negando 19. Cod. De his qui accus non pos. l. Is qui §. & ibi Glossa & Bart. l. De publ. iudic. late Abbas in c. 1. nu. 22. h. t. quia non objectione aut relatione criminis, sed sua innocentia reus purgatur, d. lib. Is qui §. can. Neganda. & per tot. 111. q. 21. Quinimo reus criminaliter conventus actorem ne quidem civiliter recon-